



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. XXXII. De loco, & vacuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

Deo nihil est
se potest ca-
suale.

S. Thomas.

IV.

Fortuna
quid apud
Gentiles.

V.

Quid sit
Fatium.

Vox suspecta
orthodoxis.

Fatium quid
apud hære-
ticos.

VI.

Quid per
Fatium in-
telligant
Catholici.

Boëtius.

S. Thomas.

præter opinionem, qua de causâ dixit Aristoteles l. 2. magnorum moral. ibi minus esse fortunæ, ubi plus est intellectus. Unde Deo, qui infinitâ suâ scientiâ omnia prævidet, nihil casuale esse potest, aut fortuitum, ut optimè docet S. Thomas 1. p. q. 103. art. 7. ad 2. & S. Augustin. l. 83. quæstionum, q. 34. cit. med. to. quarto.

Hinc infeto, nomen Fortunæ prout hoc modo explicatur, sive pro causâ sumatur, sive pro effectu, nihil in se contrarium fidei, aut erroneum continere, sed solum prout hoc nomine utebantur Gentiles, qui nimirum fortunam Deam statuebant, quæ eventibus fortuitis præset, cujus proinde opem stultè implorare solebant.

Fortuna opponitur Fatum, quod licet in sensu aliquo commodo sumi possit, & sumatur ab Orthodoxis, ut mox ostendam, malè tamen ea vox sonat, estque Catholicis suspecta, tum ob Astrologos, qui homines fato agi semper, dicebant; sicque per nomē Fati inevitabilem quandam necessitatem ex sideribus ortam significabant, quam vocabant *causarum collisionem ex astrorum motibus ac vi efficaciam trahentem*: quam siderum vim nec ipsum Deum sistere, & impedire posse ex iis nonnulli asseriebant: Tum ob hæreticos, qui Fatum appellabant ferreum quoddam decretum Dei, quo eum dicebant vim & necessitatem causis, etiam liberis, inferre. Sed hæc fidei contraria sunt, & commenta impia ac stolidæ.

Fatum ergo juxta Catholicos est complexio quædam causarum secundarum, quæ licet ex se incertæ sint, ac variabiles, prout tamen subsunt providentiæ Divinæ, infallibiliter inferunt effectus. Deus verò causas omnes juxta cujusque naturam ordinat, quædam necessariò, quædam liberè: ad effectus bonos movendo, & illuminatione intellectus, ac sanctis inspirationibus impellendo, effectus verò malos tantummodo permittendo. Unde Fati hoc modo sumpti descriptionem sic tradit Boëtius l. 4. de Consol. prosa 6. *est in hærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam Divina providentia suis quaque necesse ordinibus.* Quod etiam docet S. Thomas 1. p. quæst. 116. art. 2.

ad 3.

Fatum hac ratione acceptum, duplex est, *formale*, VII. & *objectivum*: hoc est ipsa causarum secundarum series & concatenatio, quæ res istiusmodi efficit & exequitur: formale est actus ipse Divinus, quo res modo dicto in suos quasque effectus ordinat, estque ipsa Dei providentia, & à nonnullis appellatur *Fatum causale*.

Licet verò nomen *Fati*, ut supra adverti, sit Catholicis suspectum, si quis tamen hac ratione illud intelligat, nempe ut nihil aliud sit, quàm dispositio causarum secundarum, quatenus Divinæ providentiæ subsunt, nihil tenet vel fidei, vel rectæ rationi dissentaneum. Hac tamen voci uti non expedit, ut notat S. Thomas 1. p. q. 116. ar. 1. corp. & S. August. l. 5. da Civit. Dei c. 1. his verbis: *si propterea, inquit, quiaquam res humanas fato tribui, quia ipsum Dei voluntatem, vel potestatem Fatium nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat.* Unde & alij Patres, ut ibidem advertit S. Thomas, hac voce uti recusabant, quia scilicet ex primævi suâ impositione fatalem quandam & ineluctabilem necessitatem in res omnes, etiam hominum voluntates, à sideribus provenientem significabat.

Hactenus de causis, & earum effectibus disputatum est: nunc aliquid obiter de earum defectibus subnectam. Causarum itaque defectus seu peccata natura, & in duplici sunt differentiâ, peccata artis, & naturæ: peccata artis sunt, dum quis à regulis ab arte præscriptis deficit, redditque opus imperfectum: de quibus satis dictum est in Logicâ. Defectus seu peccatum naturæ secundum Aristotelem hic, tex. 82. est *effectus naturalis a re et a solâ secundum speciem dispositione degenerans*, & appellatur *monstrum*, ut si quis cum sex digitis in eadem manu nascatur. Si tamen alicubi id passim contingeret, non censeretur id monstrum, sicut monstrum non censeatur inter Æthiopes qui nascitur niger. Nec qui admodum pusillâ est statura, censeatur monstrum inter Pygmæos; nec qui ingente corporis mole inter gigantes, scilicet fortè frequentes sint, vel hi, vel illi. Grave peccatum naturæ est Gigas, Nanus leve, propter materiæ parvitatem.

Finis libri secundi Physicorum.

DISPUTATIO XXXII.

De loco, & Vacuo.

Promiscuè de reliquis sex libris agemus, ex iis enim nonnulli licet aliorum interpolatione disjungantur, ita tamen in materiâ sunt affines, ut diversa potius capita ejusdem libri, quàm diversi libri, vel Tractatus censi debeat. Agi ergo in his libris solet de motu, actione, passione, creatione, loco extrinseco, & intrinseco, de tempore, duratione æternitate, ævo, vacuo, spatio reali, & imaginario, continuo, infinito, possibilitate creaturarum tum successivarum, tum permanentium ab æterno. Singula sigillatim discutimus, ordinem, prout res tulerit, invertemus.

SECTIO PRIMA.

De iis que ad Vacui naturam pertinent.

1. **V**acuum, ab Aristotele 4. Phy. tex. 57. & omnibus Philosophis, sic definitur, *Vacuum est locus*

corpore non repletus, aptus tamen repleri. Per quam definitionem excludi communiter à ratione Vacui solent spatia imaginaria extra cælum Empyreum diffusa, qui licet non repleantur aliquo corpore, naturaliter tamen eo repleri non possunt. Mihi tamen videntur aliquo modo dici posse Vacuum spatia illa, quia saltem divinitus repleri possunt corpore: imò cur non poterit sancti qui in cælo habent, vel habebunt corpora illuc pro libito se transferre? Ad ablationem ergo vacui requiritur ut corpus eo loco ponatur, & non possit vacui sufficit poni illic spiritum, Deus enim est in omnibus spatiis imaginariis juxta probabilem sententiam, & si in hoc gymnasio annihilaretur omnis aer, nullusque alius illius loco succederet, adhuc Deus in eo maneret, & tamen tunc daretur vacuum. Idem est si Angelus aliquis se tunc intimè præsentem redderet Gymnasio.

Naturaliter dari non posse vacuum quotidiana docere videtur experientia, ideo enim contra naturalem

ralem cursum ascendit aqua attracto per fistulam plumbeam aëre, caro in phialis vitreis, extincto igne, elevatur, folles obturato orificio aperiri nullā vi possunt, aqua in vase angustī oris inverso non effluit, nescilicet in suprema vasis illius parte detur vacuum: quod si vel minimum in illius summitate foramen fiat, ita ut aër ingredi possit, statim aqua omnis effluit. Utrum autem Angelicā virtute fieri possit vacuum, negat id ab Angelo fieri posse Oviedo Cont. 15. Phy. p. 12. Existimo tamen probabile Angelicā virtute fieri hoc posse: cum enim Angelus moveat cælum, & saltem plures simul movere possent totum universum, quidni vincere poterunt resistētiā quam totus mundus habet contra vacuum, cum fortiores sint universo, sicque hoc sensu fieri potest naturaliter.

Quæres primò, cur tantopere natura abhorreat vacuum? Ratio communiter assignari solet, quòd cum res omnes sublunares pendeant in productione & conservatione ab influxu cælorum, si daretur vacuum influere non possent, saltem linea rectā, & modo connaturali, sicque magnā saltem ex parte impediretur productio & conservatio rerum, ac sensim pessum irent universa.

Quæres secundò, num, si daretur vacuum, & homo quispiam aut lapis in eo moveretur, motus esset successivus an instantaneus. Nonnulli dicunt totam rationem successivis in motu provenire ex resistētiā mediij, quod, inquit, quòd densius est, eò motus est tardior, unde si omnino tollatur omne medium, seu aër ex hoc gymnasio v.g. existimant aliquem ab uno ejus angulo ad alium, imò à cælo ad terram in instante moveri posse. Dico tamen, nullum omnino motum, saltem alicujus corporis, nec in vacuo, nec extra illud in instante fieri naturaliter posse. Ratio est, quia si transit per medium, seu spatium imaginarium, sequitur, in eodem instante esse illud simul in omnibus partibus spatij intermedij, ut consideranti patebit: si verò non transeat per medium, primò hoc videtur corpori naturaliter impossibile. Deinde non esset motus propriè loquendo, sed potius quoddam mutatum esse: unde si Deus destrueret Petrum, aut ejus ubicationem hic & eodem instante ipsum statueret Romæ, non diceretur eum Romæ collocare per motum.

Ad argumentum ergo contrarium Resp. resistētiā mediij, licet aliquid conferat ad majorem vel minorem tarditatem in successione motus, non tamen esse causam illius adæquatam, ut constat dum Angelus se movet successivè, cui tamen nullum medium resistit, unde omne ablato medio non sequitur motum fore instantaneum, ut in exemplo Angeli proximè allato constat; medium enim quod non resistit, perinde se habet quoad argumentum adversariorum, atque si non esset. Alia ergo sunt impedimenta, vel causæ successivis motus præter resistētiā mediij, ut vidimus.

Quæres tertio, à quo agente moveantur corpora ad impediendum vacuum? Dicunt aliqui causam efficientem horum motuum esse res ipsas quæ moventur: asserunt proinde aquam, ut est pars universi, naturaliter ascendere, licet secundum suam partem naturam graviter, ac descendat: sicque dicunt, si aër omnis cælum inter & terram annihilaretur, fore ut terra naturaliter ascenderet, & conjungeret se concavo lunæ, ut hac ratione frueretur influxibus cælestibus. Quæ solutio licet à multis acriter impugnetur, videtur tamen non planè carere probabilitate. Secundò tamen dici potest causam illius motus effectivam esse agens illud à quo motus primo corpori imprimitur; quod inde probabiliter suaderetur, quia dum quis aërem ex.g. extrahit è fistulā plum-

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

beā, seu antliā, quò profundior est puteus, eò plus aquæ simul cum aëre attollitur, & plus ponderis sentitur: homo autem qui aërem extrahit, non sentiret majus, imò nullum omnino pondus, si aqua per se ascenderet, aut si homo ille solum aërem attolleret, non aquam.

Solum hic restat nonnulla breviter subungere de centro. Centrum itaque universi est punctum illud, quod ex omni parte maximè distat à cælo, & quò gravia omnia ex naturali quadam propensione ac pondere inclinant. Terra autem remotissimo loco à naturā collocatur à cælo, & aqua loco illi proximo, quia cum sint corpora aliis densiora, impedirent influxum cæli in reliqua, præsertim lucem. Si ergo per rectam lineam foramen per diametrum terræ fieret, & per ipsum centrum transiens perveniret ad partem superficiei illi ex alterā parte oppositam, sicque tota terra perforaretur, lapis hinc dimissus, ubi pertingeret ad centrum, sisteret: nam alioquin naturaliter ascenderet. Nec resiliiret, ut solet dum cadit in terram, vel in alium lapidem impingit, quia in centro nihil invenit quod obstat: cum ergo naturaliter appetat centrum, ubi ad illud pervenit, naturaliter quiescet.

SECTIO II.

Quid sit locus extrinsecus.

Aristoteles l. 4. Phy. t. 42. sic locum extrinsecum definit: *Locus est ultimus terminus continentis*. Quæ definitio ab aliis clariùs his verbis tradita solet, *Locus est superficies concava corporis ambientis, immobilis*: sic pisces in flumine, & lac velaqua in vase sunt ut in loco; sicut etiam aër est in igne, dum hic in suā spherā existit, ignis in concavo lunæ, unum cælum in alio &c. Ex hac itaque definitione inferitur, supremum cælum seu empyreum saltem secundum totum, non esse actū in loco hoc modo accepto (hic enim sermo tantum est de loco extrinsecō reali, non imaginario) cum à nullo corpore ambiente actū circumdetur, sed solum est in loco reali extrinsecō potentiā, quia scilicet creari potest à Deo aliud cælum, vel corpus altius cælo empyreo, quodque illud circumdet, & tunc actū esset in loco reali.

Locus verò extrinsecus non est sola superficies corporis continentis, seu ambientis, sed superficies immobilis, ut constat ex definitione positā; quare superficies illa in obliquo involvit necessariò ubicationem sui, seu locum intrinsecum, cum per illam solum reddatur superficies immobilis, id est, tali loco sita: unde corpus locatum involvit etiam ubicationem sui, cum per illam applicetur, & approxime-tur loco extrinsecō: non enim est in loco reali nisi illi applicetur.

Dices primò; cum aqua in eodem vase defertur ab uno loco in alium, mutat locum, ergo locus non est superficies ambiens, nam hanc non mutat, vas quippe illud eandem retinet superficiem quam antea. Resp. primò, mutare aquam illam locum extrinsecum non planè, sed ex parte, cum, ut diximus, ubiatio ipsa superficiei ambientis ingrediatur constitutionem loci extrinseci in ratione immobilis, quod requiritur ex ipsa loci definitione. Secundò dico absolute aquam illam non mutare locum extrinsecum realem, quod non debet videri mirum, cum simul cum aqua moveatur ipsa superficies ambiens, seu locus ipse extrinsecus. Quando autem dicitur, quidquid movetur, mutat locum, intelligi debet de loco intrinsecō, & correspondentiā ad spatium imaginarium.

Dices secundò; nil potest mutare locum extrin-

Ff

secum,

VII.
Quid sit
centrum
mundi.

Lapis in
centrum
decidens
quiescet.

I.
Quid sit
locus ex-
trinsecus.

Supremum
cælum non
est in loco
extrinsecō
actu, sed
potentiā.

II.
Locus ex-
trinsecus
involvit
ubicationem
sui.

III.

Aqua in
eodem vase
delata mutat
locum ex-
trinsecum
ex parte.

IV.

Probabile
tamen est
virtute
Angelicā
fieri posse.

III.
Cur natu-
ra abhor-
reat va-
cuum.

IV.
Putant al-
liqui motum
in vacuo
fore instan-
taneum.

Contrarium
est proba-
bilis.

V.
Medium
licet retar-
det, non ta-
men est ad-
æquata
causa suc-
cessionis in
motu.

VI.
Duplex
causa mo-
tus ad im-
pediendum
vacuum.

secum, quin moveatur, sed columna stante vento non moveretur, & tamen mutatur superficies corporis ambientis, nempe aeris, cum novus semper succedat amoto priori, ergo ultima superficies corporis ambientis non est locus extrinsecus. Resp. distinguendo majorem, nil potest mutare locum extrinsecum imaginarium quin moveatur, concedo majorem; locum extrinsecum realem, nego, ut clarè ostenditur exemplo in argumento proposito, & in trabe vel columna fixa in flumine, quæ physicè singulis momentis mutant locum realem extrinsecum, & solum retinent eundem moraliter. Quod etiam contingeret in mutatione loci intrinseci, si Deus destructa hac ubicatione, aliam corpori illi daret ubicationem homogeam.

SECTIO III.

Nova quædam opinio de vacuo.

Ad mutationem loci extrinseci sufficit locum moveri, re immota.

Idem est de loco intrinseci.

I. REN. DES CARTES. par. 2 phil. n. 21. & 22.

II.

III. Mundus certus habet limites, & non extenditur in infinitum.

IV. Conclusio hæc communis est Philosophorum, ac Theologorum.

Sancti Patres passim docent mundum non extendi in infinitum, sed certos limites habere.

V.

Mira recentioris hujus argumentatio.

Recentior quidam ita vacuum implicare asserit ut ne quidem supra cælos locum conceptibilem esse dicat, in quo de facto non sit aliquod corpus. Mundum proinde, seu substantiam corpoream nullos extensionis suæ fines habere docet, sed indefinitum immensum undique sine termino protendi, & omnia omnino spatia imaginabilia occupare & ubicunque mundos quis, etiam infinitos, & infinitè extensos finxerit, ibi eos, seu substantiam realem, & corpoream de facto jam esse affirmat.

Hanc sententiam, quamvis prout mundum ait esse infinitum, & de facto existere substantiam corpoream, quæ nullos extensionis suæ fines habeat, adeo falsam existiment viri docti, ut confutatione non indigeat, ut tamen ejus falsitas magis omnibus innotescat, hæc am obiter impugnabo.

Dico itaque, certum esse, mundum hunc non esse infinitè protensum, sed certos ac determinatos extensionis limites habere, ultra quos nullum existit corpus, sed datur hoc sensu vacuum, quod scilicet nihil illic corporeum actu reperiatur, sive vacuum illud dicendum sit spatium imaginarium, sive non, de hoc enim controversia est inter philosophos, ut videbimus disp. sequente, sec. primâ.

Hæc conclusio est communis Philosophorum ac Theologorum, quos proinde supervacuum foret hic atterere. Imò plerique, iique doctissimi viri, ita negant mundum de facto esse infinitè extensum, ut nec divinitus extendi in infinitum posse asserant, ut infra videbimus d. 46. l. 4. dum de infinito. Idem docent sancti Patres, quos d. sequente l. 4. ex aliâ occasione adducam, quorum auctoritates hoc saltem probant, mundum scilicet non esse actu infinitum, seu infinitè extensum. Hoc etiam clarissimè docet S. August. l. 1. c. 1. de Civit. Dei c. 5. ubi quosdam impugnans sic habet: An forte, inquit, substantiam Dei &c. a tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sumus; ut in uno tantum, atque comparatione ipsius infinitatis tam exiguo loco in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hac vaniloquia progressuros. Quid clariùs? Idem docent S. Dionys. S. Hieron. S. Greg. citandi d. sequente, l. 4. S. Basilus Hom. 16. S. Damasc. l. 2. de Fide. c. 6. Orig. l. 7. contra Celsum S. Greg. Nazianz. orat. 34. & Apol. 1. & alij.

Quid ad hæc respondebit recentior iste, quicum præsens mihi hic disputatio? Quam hujus sui effati rationem asserit tam solidam, ut non Philosophis tantum, ac Theologis, sed tot etiam Ecclesiæ luminibus relictis, ille censere adhærendum? Audite. Mente, inquit, percipio mundum nullos habere fines, & substantiam aliquam corpoream esse indefinitè extensam, ergo mundus nullos habet fines, & de facto existit substantia corporea in

immensam undique infinitè diffusa, & omnia spatia, etiam imaginabilia actu occupans, ac replens. Hæc ille, nec aliam hujus tam miri pronunciati rationem assignat.

Quo devenimus? Apprehensio Philosophiæ norma, ac regula statuitur: quod sibi illa fingit, firmum adeo ac fixum habendum est, ut de illo dubitare sit nefas. Ego percipio substantiam corpoream esse in infinitum diffusam, ergo est infinitè per spatia omnia, etiam imaginabilia, diffusa.

Contrà primò, viri quique perspicacissimi, qui in florentissimis hodie per totum orbem Academiis Philosophicas disciplinas pertractant, percipiunt contrarium, nempe mundum non esse infinitè diffusum, sed certos ac determinatos limites habere. Imò, tot jam retro sæculis, homines doctissimi, ipsique adeo Sancti Patres, ut vidimus, perceperunt non existere corpus aliquod infinitum, quodque spatia omnia imaginabilia occuparet, ergo mundus non est infinitè diffusus, nec datur ejusmodi corpus, quod nullos extensionis suæ, ac magnitudinis fines habeat. Judicet quisvis æquus rerum æstimator, utrum hæc argumentatio non sit efficacior ad negandum mundum esse infinitum, quam ipsius ad illud affirmandum: Ego percipio mundum esse infinitum ergo est infinitum.

Contrà secundò, hic ejus argumentandi modus viam infinitis figmentis aperit, occasionemque unicuique præbet suo arbitratu nova dogmata cudenti, & sine ullo omnino fundamento quidvis affirmandi. Dicit enim similiter alius esse, vel regionem aliquam in mundo ignotam, vel mundum alium ab hoc nostro segregatum, in quo aves omnes sunt bicipites, canes cornuti, equi alati, homines Cyclopi inftar monoculi, & alia hujusmodi. Quod si quis ab eo quærat quo fundamento nixus rem tam exoticam affirmet, Ego inquit, ista esse percipio; spiritus mihi hæc dicitur Philosophicus: & si apprehensionibus agendum sit, cur non aequè meæ apprehensioni deferendum, ac alterius?

Contrà tertio, potuisset Deus initio mundi solum paradisum, & in eo primos parentes produxisse: vel etiam jam annihilare potest Deus totum mundum, unâ aliquâ regione exceptâ. Hoc absque dubio sine ingenti temeritate negari non potest. Ulterius, illius loci homines (ponamus esse locum in quo hic auctor degit, qui hoc argumentandi genere utitur) illius, inquam, loci homines, & hic inter alios, non minus concipere possent rem aliquam corpoream in infinitum undique diffusam, ergo tunc etiam existeret hujusmodi res corporea infinita, quod tamen vel cæcus videt esse falsum.

Contrà quarto, sicut mens nostra fertur in infinita spatia quoad locum, ita tempus reale concipere potest, variâque sphaerarum cælestium circumvolutiones antè, & antè in infinitum à parte ante; mens enim humana, ut locorum, ita nec temporum ullis limitibus coërcetur, ergo tempus reale & cælorum motus fuerunt ab æterno, quæ est aperta hæresis: & tamen evidenter inferitur, si hæc argumentatio valeat, Ego rem percipio, ergo est.

Addit hic auctor: Non percipimus, inquit, tantum corpus per infinita illa spatia sine ullo termino extensum, Non percipimus, sed, verè, perspicuè percipimus, ergo est hujusmodi corpus, & consequenter mundus infinitus. Contrà, Patres, ut vidimus, Theologi omnes, ac Philosophi verè percipiunt non esse hujusmodi corpus infinitum, ergo non est. Contrà secundò, ille de quo antè, dicit se perspicuè verè & perspicuè percipere canes cornutos &c., ergo illic sunt. Contrà tertio: diceret Aristoteles, se verè, & perspicuè percipisse mundum fuisse ab æterno & alia hujusmodi. En quæ consequentiæ ex hoc argu-

VI. Apprehensio Philosophiæ norma, ac regula statuitur: quod sibi illa fingit, firmum adeo ac fixum habendum est, ut de illo dubitare sit nefas. Ego percipio substantiam corpoream esse in infinitum diffusam, ergo est infinitè per spatia omnia, etiam imaginabilia, diffusa.

VII. Alij omnes percipiunt mundum non esse infinitum, sed certos ac determinatos limites habere. Imò, tot jam retro sæculis, homines doctissimi, ipsique adeo Sancti Patres, ut vidimus, perceperunt non existere corpus aliquod infinitum, quodque spatia omnia imaginabilia occuparet, ergo mundus non est infinitè diffusus, nec datur ejusmodi corpus, quod nullos extensionis suæ, ac magnitudinis fines habeat.

VIII. Hic ejus argumentandi modus viam infinitis figmentis aperit, occasionemque unicuique præbet suo arbitratu nova dogmata cudenti, & sine ullo omnino fundamento quidvis affirmandi.

IX. Tertio efficitur, si quis ab eo quærat quo fundamento nixus rem tam exoticam affirmet, Ego inquit, ista esse percipio; spiritus mihi hæc dicitur Philosophicus: & si apprehensionibus agendum sit, cur non aequè meæ apprehensioni deferendum, ac alterius?

X. Sequitur, ut tempus reale fuisse ab æterno.

XI. Non percipimus, sed, verè, perspicuè percipimus, ergo est hujusmodi corpus, & consequenter mundus infinitus. Contrà, Patres, ut vidimus, Theologi omnes, ac Philosophi verè percipiunt non esse hujusmodi corpus infinitum, ergo non est.

argumentandi modo inferantur.

Dico itaque, verè aliquid percipere, habere duplicem sensum: primò, ita ut solum significet tale quid menti observari: & hoc sensu, qui Anti-Christum concipit jam existere, aut aliud hujusmodi, verè isthac percipit, quia verè objecta illa apprehendit. Secundò & præcipuè, verè aliquid percipere est actum, quo id ita se habere asserimus, seu judicamus, esse verum: dicere autem hoc sensu nos verè percipere mundum esse infinitum, est petere, ut aiunt, principium, seu illud assumere tanquam verum, quod est in questione: quærimus enim in præfenti an actus ille sit verus, seu, an objectum ita se habeat, sicut actus affirmat, & negamus ita se habere, imò argumentis supra positis clarè probatur actum illum esse falsum.

Dices; spatia illa concipimus extensa, longa, lata, & profunda, ergo sunt corpus. Contrà, Angelos,

imò Deum ipsum concipimus instar corporis, & varias quasi partes habentem, nec alio modo anima hic corpori affixa concipere eum potest, ergo eodem argumento qui intulerit Deum esse corpus. Spatia ergo illa supra cælum Empyreum, vel nihil omnino sunt, ut multi probabiliter affirmant, vel ad summum sunt negationes: de quo disp. sequente. Ideo autem hæc concipimus instar corporis, quia cum omnis nostra cognitio pro hoc statu sit abstractiva, seu habeatur per sensus, sensibus autem nihil percipimus præter corpora, seu res corporeas, ideo etiam mente ea instar corporum concipimus; cum tamen ipsa corpora non sunt. Et hinc deceptus est hic auctor, quodd quidquid instar corporis concipitur, corpus putet. Quæ sine dubio periculosissima est persuasio, & nisi corrigatur, in plurimos, & perniciosissimos errores hominem paulatim ducet.

DISPUTATIO XXXIII.

De spatio imaginario.

Res hæc, utpote imaginaria, variis variis imaginandi occasionem præbuit. Constat verò imprimis, spatium imaginarium non esse quid reale positivum, primò, quia imaginarium, deinde fuit ante mundum conditum, nihil autem reale tunc etitit præter Deum. Ita extra cælum empyreum sunt modò spatia imaginaria in immensum undique diffusa, in quibus nihil est reale, ergo spatium imaginarium non est quid reale positivum.

SECTIO PRIMA.

Varia opiniones circa spatium imaginarium.

I. Primò, volunt nonnulli spatium imaginarium esse merè quid fictum, & tantum habere esse objective in intellectu, ita P. Vas. 1. p. d. 29. c. 3. n. 11. & 12. P. Arriaga d. 14. Phy. f. 3. n. 62. & P. Ov. Con. 15. Phy. p. 2. d. 1. Contrà primò, nemine cogitante Petrus est in loco, seu affixus spatio imaginario. Contrà secundò, extra cælum empyreum, imò ab æterno erant spatia imaginaria, quando tamen nullus erat intellectus fingens. Contrà tertio, sectione sequente ostendam esse aliquid existens nemine cogitante. Contrà quartò, Arriaga citatus l. 4. n. 69. ait Deum defacto esse in spatiis imaginariis, Deus autem non est in Chimæris, nec eger intellectu fingente ut sit in his spatiis, in quibus fuit ab æterno. Contrà quintò, spatium imaginarium debet esse quid fixum & immobile, sed ens rationis cessante actu intellectus cessat, ergo in eo non est situm spatium imaginarium.

II. Secunda sententia est asserentium spatium imaginarium esse negationem rei vel illius ubicationis. Sed nisi aliud addatur, contrà est, nam res ubicata debet esse præfens spatio imaginario, sed nulla res est, vel esse potest præfens negationi sui, sic enim in eodem spatio idem simul esset & non esset, ergo. Confirmatur, spatium imaginarium debet esse quid fixum, & nullà vi tollibile, ergo non est hujusmodi negatio, cum hæc de facto, posita re, tollatur necessariò eo saltem loco quo res constituitur.

III. Tertio, alij spatium imaginarium esse dicunt immensam aliquam molem corpoream merè possibilem, undique in infinitum diffusam, vel ubicationem

R. P. Th. Comptoni Philosophiæ.

possibilem ejusmodi molis corporeæ. Ita P. Hurtad. d. 14. Phy. f. 2. quem multi sequuntur. Sed contrà primò, spatium imaginarium debet esse quid actu, cum res in illo actu existant, sed res vel ubicatio merè possibiles, non sunt quid actu, ergo. Dices; sunt actu possibiles. Contrà, hoc perinde est atque si quis dicat, sunt actu non actu, quæ videtur implicatio in terminis, cum possibilitas mera excludat omnem actualitatem.

Secundò impugnatur, hac ratione idem esse spatium imaginarium, & reale, patet, hæc enim ubicatio & moles antea possibilis, quando producitur, fit realis, estque eadem numero existens & possibilis, & consequenter ubicatio illi & moles antea spatium imaginarium, jam fit reale, sicque non convenit ipsi una ex proprietatibus spatij imaginarij, nempe, ut non sit tollibile, tollitur enim res de purè possibili, dum fit actualis, & existens.

Quartò, recentiores aliqui secuti P. Lessium l. 2. de Perfectionibus Divinis, c. 2. dicunt, spatium imaginarium esse ipsum Deum, qui secundum immensitatem suam, est ubique seu infinite necessariò diffusus, & licet realiter idem, est tamen virtualiter seu eminentialiter multiplex, & diversus pro singulis minimis partibus & punctis spatij, sicque enim figi in spatio imaginario, esse affigi & correspondere tali vel tali virtuali extensioni immensitatis Divinæ. Sed contrà, nam est celebris questio inter Theologos utrùm Deus sit in spatiis imaginariis extra cælum, quæ tamen questio esset omnino vana, si per spatium imaginarium intelligeretur ipse Deus, sic enim quæreretur utrùm Deus esset in seipso, de quo nemo dubitat; ulterius ergo quærent utrùm Deus per immensitatem alteri alicui præter se extra cælum empyreum correspondeat.

Quidquid ergo sit utrùm possint variæ proprietates spatij imaginarij convenire Deo ob immensitatem ejus & eminentialem ubique præsentiam, Deus tamen non est spatium illud quod hic inquirunt Philosophi & Theologi in questione propositâ. Aliud proinde investigandum.

Quintò, alij spatium imaginarium omnino tollendum censent. Essentiam verò ubicationis hoc modo explicant; dicunt ubicationem Romanam ex. g. illius esse naturam, ut petat in actu primo essentialiter tantum distare ab omni alia ubicatione non Romanâ, nempe ut possit tantum spatij interjici inter illam

Non quia quid concipitur instar corporis, est corpus.

Vnde deceptus sit hic auctor.

Non est in mensa moles corporeæ possibilis.

IV.

V.

Nonnulli Deum asserunt esse spatium imaginarium.

Refellitur.

VI.

VII. Aliqui ne sunt spatium imaginarium.